

AD LECTOREM.

S. P. *Lector benevole.*

Xcurrit quadrimestre, quo consultus à Bibliopola, quodnam scriptum pro tempore prælò judicarem dignius; commendaverim Opera Josephi Quereturani Galli, Medici olim Regij, collectum edenda scil. quæ haec tenus frustulatim prodierint. Consuluit idem Virum nobilissimum Dn. MAXIMILIANUM JUNGENI in Imperiali hac Repub. Senatorem ac Sabinatus Assefiorem, Virum (absint blanditia) in omni scibili oculatissimum, bibliothecâ librorum etiam rarissimorum locupletissimum, literarum promotorem officiosissimum adeoq; Scholarcham Gymnasii nostratis meritissimum. Hic approbavit consilium, modo ipsemet qui dederim consilium operi afferrem auxilium.

Monitis his Bibliopolæ gratificatur* scripta penitus intuit⁹ sum, reperi⁹; multa inibi occurrere obscura, multa superflua, multa ab arte medica heterogenea, nec pauca confusa, locisq; peregrinis inservita. Horu emendatio cū omnimodam scriptorum transpositionem rerumque ad coordinationem requisitarum additionem, adeoque laborem tædiosissimum requereret: horrui primum, temporis perpendens brevitatem (præfixæ enim editioni fuerunt nundinæ hæ vernales) labori minimè respondentem, præcipue cum praxis ægrotis debita, diurnum præripiat. Verum enim vero prævaluerunt tandem tanti illius viri authoritas, desiderium promovendi studium medicum, nec non stimulus hinc inde à viris doctissimis superadditus, inter quos non ultimi fuerunt Vir clarissimus STEPHANUS CAHAGNESTUS Academiz Cadomensis Professor Medicinæ celeberrimus; ut & acutissimus atq; in Philosophia Hermetica exercitatissimus D.D. SAMUEL CLOSSÆUS, Physicus Mediomatricibus famosissimus, &c. Adii itaq; opus, præxi quātum licuit succidi, lucubrationesque nocturnas impendi, tantumque Dei auxilio feci, ut scripta Quereturani quæ lucem viderunt, certa methodo coordinata, amputatis superfluis ac heterogenesis; collectis confusis; illustratis obscuris; additisque necessariis aliisque seitu dignis, tecum, benevole lector communicē, quod quanto labore præstitum sit, tibimet pristina cum hisce conferenti relinquo judicandum.

Sunt autem scripta illa: Pharmacopœa Dogmatica restituta; Dixiteticum polyhistoricum; Tractat. de Priscorum medicina cum consiliis; Tetras morborum capit is; Pestis alexicacus; Defensio medicinæ Hermeticae; Responso ad Aubertum; Incursio ad excursum Riolani; Spagyrica medicamentorum præparatio; Sclopétarius cum Antidotario Spagyrico. Hæc sunt quæ digessi⁹; Reliqua enim, ad quæ lectorē nonnullibi author remittit, in luce nondum

nondum prodierunt. Sed restat Lector de quibus te commonere oportet? Primum est, quod res exdem diversimode tractatae nonnunquam occurrant id quod factum scias, ut eadem, siquidem à vulgari via quadam tenus recedunt, eò dilucidius innotescant. Secundum est, quod in nonnullis ab opinione authoris discedam, nixus scil. rerum analogia. Hanc tamen discrepantiā, facili negotio conciliare poteris si minus, elige probabilius. Nec enim mea vendito ac si errare nequeam: homo sum, humani nihil à me alienum puto; ipsem et si meliora doctus fuero, ceder non recuso. Tertium est quod correcturæ adesse non vacaverit, tempus enim quod praxi subtrahere licuit, opus elaborandum sibi sumpsit. Hiac factum, ut contra voluntatem correcturæ incuriosa ac peregrinâ plurima irrepserint errata, quæ tamen excerpere tempus cursum prohibuit. Annitar tamen, Deo volente, ut quæ sensui derogare potissunt, nundinis futuris compos esse possis. Reliqua enim quæ facilè conspicua sunt, ipsem et corrigas. Scribimus enim tyronibus quidem Medicinæ, non lingua latine. His vale. Et si qua incongrue tractata occurrerint, boni consule, temporis brevitati adscribe, atque data occasione politiora expecta.

J. S. D.



SYN-